

DE
TUMORE CAPITIS SAN-
GUINEO NEONATORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM,

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

RITE IMPETRANDO,

LOCO CONSUETO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ANTONIUS HERM. HALLER,

ERSTONUS.



DORPATI LIVONORUM

EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI

MDCCXXIV.

I m p r i m a t u r,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum
censura mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. xviii. Mart.

MDCCCXXIV.

Fr. Parrot, h. t. Decanus.

D 16780

Viro

Summe Reverendo ac Doctissimo

Paulo Eduardo Hoerschelmann,

ad aedem cathedralem sacrorum Revaliae
faciendorum Antistiti, Dioeceseos Praeposito
et Senatus ecclesiastici provincialis
Adassori,

ea, qua par est, observantia

D. D. D.

Auctor.

Vir summe Reverende ac Doctissime,

Fautor atque amice maxime colende,

Gratus proborum animus quamcunque cupide arripit occasionem, re ipsa si fieri non licuerit, saltem profitendi, perfusum se esse pietatis sensu. Quanto disertius magisque in omnium oculis edere animi confessionem possit, tanto majori repletur voluptate.

Sic ego offero dicoque Tibi, Amice, Fautor alterque mihi pater, ea, qua par est, reverentia atque observantia, qualiacunque haec mea cogitata de non levi quidem re il-

*Illis salutaris artis, cui colendae et vires
meas et vitam addicere velim, Tibi, in-
quam, nuncupo hasce studiorum meorum
primitias in publicum prodituras, qui ami-
cissimi humanissimique tum praeceptoris,
tum, caro parente mortuo, alterius veluti
patris partes susceperas. Reverentiae, amo-
ris gratique animi sensus tam firmiter hae-
ret in intimo meo pectore, quem remotissi-
ma nec tempora, nec spatia, nec quaecun-*

*que aliae humanae vitae vicissitudines de-
lere possint.*

*Non nisi ea commemoro, quae Tibi,
Vir maxime Venerabilis, egomet accepta
fero ac debeo, ut quem non decuerit, ver-
sari in celebrandis meritis Tuis, ut quo-
rum laus clara voce celebratur ab omnibus.*

*Vale igitur, Vir maxime Venerande.
Faxit Deus Optimus, Supremus factorum
humanorum arbiter et auctor, ut sanctiori-*

*bus partibus Tuis, Ipsi religionique sacra-
tis, ad extremum usque humanae vitae ter-
minum sospes fortunatusque fungaris. —
Haec habet in votis*

Summe Reverendi Nominis Tui

Cultor obstrictissimus

Antonius Haller.

Prooemium.

Cujuslibet dissertationis inauguralis finis proximus is est, ut satisfiat legibus a quocunque ad summos cujuscumque scientiae honores adspiraturo id quidem poscentibus, ut documento publice exhibito comprobet, haud imparem sese esse, de quacunque artis suae materia fructuose riteque meditando et cum ejusdem artis peritis communicando ingenio reperta, quae sufficiant illorum expectationi. — Cum proximo hocce fine consequendo conjunxerit quisque et remotiorem, ut quantum ejus fieri possit, subministret lectoribus, quae, sive theoretico, sive pratico respectu, quocunque modo arti suae profuerint eamque adjuverint. At ex ipsa rei indole facile intelligi licet, saepe fieri posse, ut finem postremo loco commemoratum aut omnino non, aut tenuiter saltem consequantur disserentes. Hinc fieri solet, ut hujusmodi dissertationes non nisi raro dignae putentur, quae legantur ab artis peritioribus.

Dubius ac suspensus animi, quam potissimum tractandam deligerem materiem, tumoris sanguinei exemplo a memet observato, ad hunc ipsum tractandum eo quidem adductus sum, quod jure statuere possim, his in provinciis parumdum innotuisse hunc morbum. Primum mei erat consilii, omnes in neonatis obvios pertractare capitis tumores, sanguineis tumoribus potissimum delectis: at mox desistere ab instituto meo malui, memor tenuitatis tum virium mearum, tum adnuculorum inserviturorum meis usibus, tamque vasto labori perficiendo, tum otii, varii generis urgentibus momentis. Itaque solos tumores sanguineos pertractare mihi visum est, data opera, ut consulerem quaecunque hoc de morbo existerint disputata.

Si quis est, qui vitio mihi verterit, non satis me respexisse ad Kleinii et Pallettae placita, mox veniam mihi dabit commonefactus, mihi, quantumvis summo studio adhibito, ad ipsorum operum Clarissimorum illorum Quumvirorum usum pervenire, neutiquam licuisse, et utriusque cogitata non nisi ex aliorum scriptorum operibus petere ac mutuari me fuisse coactum. Nec col-

lectionum quarundam et ephemeridum, gravioris usus fructusque mihi futurarum, data copia fuerat.

Persuasum si habuerint aequi iudices, me saltem non omnino excidisse remotiori illi dissertationis academicae fini consequendo, optatorum jucundissimi me compotem futurum tum esse, profiteor. Observatis, in appendice enumerata quae exstant, cum lectore benevolo communicatis, haud inane huic opusculo additamentum subjunxisse et eorum maxime attentionem in materiem nostram convertisse mihi videor, quorum fert opinio, tumoris sanguinei tantam esse raritatem, ut vix dignus sit, cujus sive ratio habeatur, sive omnino qui commemoretur.

Quod restat, has tironis medici primitias, uti equidem sperare ausim, aequi bonique faciant atque indulgens miteque de iis iudicium ferre velint, enixe rogo atque obsecro.

Cap. I.

Generatioribus quaedam de tumore sanguineo meditationes.

Præcul dubio antiquioribus, quid? quod antiquissimis temporibus haud minus frequenter, quam nostra aetate, obvius erat iste morbus, neque a medicis illorum temporum minus observatus. Saltem ex iis, quæ nobis de isto innotuere, nihil omnino prodire videtur, quod in dubium vocare possit hanc nostram suspicionem. Ex loco quodam scriptorum Aëtii (1) suspicari licet, ethujus animo observatam fuisse hujus morbi memoriam, tametsi manca enumeret istius phaenomena, ab aliis capitis tumoribus non satis distincta.

Jam tandem, naturæ doctrinis tum in universum, tum arte medica, cum illis pari passu ambulante, veluti denuo conditis funditusque extractis; atque adductis hujus artis cultoribus ad rerum naturam observandam et ad ingenuè examinanda quaecunque observari licebat, (qua qui-

(1) Vid. Aëtii Amedini Libror. medicinal. Lib. VI. in. T. I. fol. 99. vers. ed. Venet. 1534.

dem sola via ad scopum tenditur!), sperare licuerit, et adauctas fuisse istius morbi cognitiones. In permultis medicorum hujus aetatis operibus reperias indigitationes magis minusve distincte ad eum tumorem respicientes, quem pertractandum sumsimus, etiamsi nondum tanquam peculiarem morbum spectatum ab illis auctoribus. Satisfactum fuerit consilio nostro, horum operum mentione facta (2);

Ephem. nat. curios. Decur. II. Ann. II. (1683)
Norimb. 1684. p. 371. Obs. 162. Dn. Mich.
Bernh. Valentini.

Ephem. nat. cur. Cent. III et IV. Norimb. 1715.
p. 42. Obs. 20. Dn. D. Maximil. Preussii.
Observations sur la grosseur etc. par Franç.
Mauriceau. A Paris 1740. p. 186 et 386.

Dr. Johann Storchen, al. Pelargi, theor.
und practische Abhandl. von Kinderkrankh.
Eisenach 1750. Bd. 1. p. 113.

(2) Non commemoro, nisi quorum lustrandorum mihi data copia est. Uberiorem librorum operumque huc spectantium censum Cel. Naeglele exhibet. Conf. Zelleri Diss. de cephalæmatomate. p. 47 seq.

L'art des accouchemens etc. par M. André Le-
vret. Ed. II. A Paris 1761. p. 229—230.

Der Herren Chopart und Desault Anleit. z.
Kenntnifs aller chir. Krankh. u. s. w. Bd. 1,
Aus dem Franz. Leipzig 1783. p. 88—89.

A. G. Richter's chir. Bibl. Bd. 13. p. 124.

Samml. auserl. Abhandl. z. Gebrauch für prakt.
Aerzte. N. Ausg. herausg. von Ch. M. Koch,
Th. 1. Leipzig 1800. p. 249.

Dr. Fr. Benj. Osiander's Grundr. der Ent-
bindungskunst. Gött. 1802. Th. 2. p. 67.

L'art des accouchemens par feu J. L. Baudeloc-
que, 5me. Ed. A Paris 1815. T. 1. p. 379. T.
2. p. 228.

Traité complet d'accouchemens etc. par M. Gar-
dien. T. 3. A Paris 1816. p. 163.

Hujus morbi, tanquam ab aliis similibus, tum
causis, tum symptomatibus, tum sequelis omnino
diversi, publice primo exhibitū ac descripti hono-
res debentur Germanicis scriptoribus. Quorum
primus Gel. Michaëlis (3) erat, vir de nostra

(3) Vid. Loder's Journal für Chirurgie u. s. w. Bd.
2, St. 4, p. 657 seq. Ueber eine eigene Art von Blut-
geschwülsten.

7
arte longe meritissimus. Post hunc Cell. Naegelio (4) et Kleinio (5), praestantissimis illis ob-
servatoribus, mali commemorati accuratiores de-
bentur cognitiones. Göllis (6) vir celeberrimus,
in suo opere, scriptorum medico-practicorum, jure
quidem meritoque, longe praestantissimis adnu-
merando, multas exhibuit animadversiones huc
spectantes. At ideo tamen taxandus esse videtur,
quod de tumore sanguineo, in hydrocephali ex-
terni consortio, tractaverit, illumque adeo (l. c.
p. 191.) hujus meram speciem nuncupaverit, qua
de re alio loco verba faciendi magis opportuna
occurrit. Guil. Schmitt (7) et Pallet-

(4) Vid. Erfahrungen und Abhandl. aus dem Ge-
biete der Krankh. des weibl. Geschl. u. s. w. Mannh.
1812. p. 245 seq. — Med. chir. Zeitung 1819. Bd. 4.
No. 88. p. 159—160. — Novissima ejusdem de hoc
morbo cogitata continentur in: Caroli Zeller dias-
de cephalaeatomate Praes. Nägele. Heidelb. 1822.

(5) Vid. Bemerkungen über die bisher angenomme-
nen Folgen des Sturzes der Kinder auf den Boden bei
schnellen Geburten. Stuttg. 1817. p. 19 seq.

(6) Vid. Practische Abhandl. über die vorzüglichern
Krankh. des kindl. Alters. Bd. 2. Wien 1818.

(7) Vid. Med. chir. Zeitung 1819. No. 21. p. 327.

ta (8), Italus, sua et experta et observationes huc spectantes publici juris fecerunt iidem.

Commemoratus iste morbus quibuspiam auctoribus Tumor s. abscessus in capite, Echinoma cariosum audit, recentiorum compluribus: Tumor sanguineus, Cel. Göllisio; Trombus neonatorum, Cel. Naegelio; Cephaloematoma. Haec postremo loco memorata adpellatio (ex vocibus *κεφαλή* et *αίμα* composita) uno nomine tum sedem, tum palmarium phaenomenon, nimirum sanguinem ibi contentum, indigitat, hinc digna videtur, quam adoptent omnes, donec nomen aliud, maxime morbi proximam causam innuens licuerit reperiri.

Vanum non erit nec supervacaneum, perfectioris cognitionis morbi his in pagellis examinandi gravitatem monstrare paucissimis. — In sollicitudine non versari medicus probus non potest, ad aegrotantis lectum consistens, si phaenomenis vel diligentissime perpensis, imparem se senserit ferendae certae expeditaeque de morbi indole sen-

(8) Vid. Exercitationes pathologicae, Mediolani 1820, Cap. X et XIII.

tentiae; Et nonne versabitur in pari animi augore medicus accedens ad lectum infantis tumore sanguineo laborantis, neque sua, neque aliorum experientia de hoc morbo edoctus? — Non, metu, ne saccum adperiens, cum cavo cranii, per ossis adperturam, connexum, aegri infantis vitae periculum inferat, ab adperiendo tumore abstinebit, utpote quod forte unicum salutis servandique infantis praesidium fuerat? — Non ille, ignorato tumore sanguineo, multo pejorem enunciat prognosin, et denique prospero praeter spem contingente successu pudefactus famae suae derogabit? — Imo vero! quantum recte judicare mihi quidem licet,

Proinde tantae omnino calamitatis auctor futurus est medicus forensis, ignorans istum morbum, cuius rei commonefecerunt Nägelle (9), Kopp (10) et Henke (11); Viri celeberrimi, et

(9) Vid. *Erfahr. und Abhandl.* p. 253.

(10) Vid. *Jahrbuch der Staatsarzneikunde f. d. Jahr* 1815. p. 389.

(11) *Lehrbuch der ger. Medicin*, 2te Ausg. p. 381 — et *Abhandl. a. d. Geb. der ger. Medicin. Bamberg* 1815. Bd. 1. p. 25.

fusus etiam Zeller (l. c. p. 43 seq.). At huic tamen, adseveranti, exteriori vi vehementius illata oboriri posse in neonatis ecchymosin, supra os collocatam, nullo externis tegumentis illatae violentiae vestigio comparente, adsentiri equidem nolim. In adultis id fieri posse, ut quorum cranii ossa satis firma sint ad resistendum, utique compertum est experientia: in neonatis autem idem accidere, idque jam ratiocinando intelligi posse, omnino addubitaverim. Forensem medicum, extravasato sanguine inter pericranium et os reperto, dijudicandum ipsi cum fuerit, utrum morte naturali, an violentia illata infans sit defunctus, summa in iudicando providentia uti oportere, eorum, quae cognita de tumore sanguineo habemus, ratione strenue habita, ubi quidem infanticidii suspicio inciderit, — nemo sane ibit infitias. — Quam providum, in dijudicandis violentiae neonato illatae signis, oporteat esse medicum forensem, gravissima illa maximeque memorabilia docent Cell. Joergii (12) et d'Ou-

(12) Vid. Schriften zur Beförderung der Kenntniss des Weibes und Kindes, Th. 2. Leipsig 1818. p. 125.

trepontii (13) observata. Ille in dextro osse bregmatis cujuspiam infantis, cujus partus difficilior quidem, sed nulla artis ope opitulante absolutus erat, tres reperit fissuras. Hic neonati fere cuncta majora ossa extremitatum fracta vidit, nulla infanti vi illata. Similia, de quorum fide etiamnum dubitare nefas esset, antiquiores etiam medici et partus adjutores experta commemorant. Magis diserta horum phaenomenorum perlustratio hujus non est loci. Ad ipsa fama nobilium illorum virorum opera ablegamus Lectores.

Et medico partus adjutori, his ipsis partibus fungenti, (praeterquam quod in neonatorum morbis ab eodem consilium peti solet), cephalaeatomatis cognitione opus est, ut hacce edoctus retineatur, quo minus morbum istum, vulgarem capitis tumorem relaxatum putet mortemque infantis nunciet temeraria prognosi.

Morbus, de quo disserimus, in neonatorum adfectionibus strictiori sensu est numerandus. Sunt morbi, quantumvis et adultos infestent, ta-

(13) Vid. Abh. und Beitr. geburtsh. Inhalts. Th. 1. Bamberg u. Würzburg 1822. p. 220. seq.

men infantum morbis latiori sensu adnumerandi sint ac describendi, tum quod creberrime in his occurrunt, ut exanthemata acuta, tussis convulsiva, morbus scrophulosus et qui hujus generis sunt alii; tum quod in tenerrima infantum aetate omnino peculiaris sunt conditionis, ut erysipelas, induratio telae cellulosae (14), icterus etc. Cephaloematoma, prouti hodieque expertum est, non nisi in neonatis, aut statim post partum, aut in primis vitae diebus, nunquam in aliis, qui provectoris aetatis erant, neque in adultis est observatum. Cujus rei causa in peculiari organismi neonatorum conditione posita certe est. Attamen, pro eo ac sapio, circa hanc rem, persuasum habeo, futurum esse, ut posteris temporibus lux sufficiens obfundatur hujus rei conditioni etiamnum abstrusae, neque mere arbitrariis illa hypothesebus, quibus divulgatis arti medicae saepe plus dampni illatum est, quam commodi, sed veritate

(14) Cujus morbi Cel. Henke refert exemplum, in femina rustica, viginti quatuor annos nata, observatum. Conf. Handbuch der Kinderkrankh. Bd. I. 1818, p. 198.

tum physiologica, tum pathologica, hausta ex fida naturae observatione, illustretur.

Rarioribus neonatorum morbis cephaloematoma omnino est adnumerandum, quantumvis recentiori hac aetate frequentius, quam olim, observatum, quippe quod superioribus aetatibus, ex inscitia, cum aliis in neonatorum capite exortis tumoribus permutatum esse videatur. Multi sunt medici, iidemque celeberrimi, scriptorum de morbis infantum auctores, quibus nunquam occurrerit, ut Henke, Fleisch, Jahn, Rosenstein, Mursinna. — Cel. Goelis (l. c. p. 191) in CM et quod excurrit, infantibus non nisi XXXII, Baudelocque (l. c. T. II. p. 228) omnino X—XII, Schmitt (l. c.) in centum quinquaginta octo infantibus II, Naegelle (vid. Zeller diss. p. 4) intra viginti annos XVII, Becker (15) hucusque III, videbant hujus morbi exempla.

(15) Vid. Journal der prakt. Heilkunde von Hufeland, 1823, Stück IV., p. 76 seq. Ueber die Kopfblutgeschwulst der Nengeb. und ihre Zertheilung, von Dr. Herrn. Becker in Eiberfeld.

Cap. II.

Tumoris sanguinei descriptio.

Id agam hoc in capite, ut, quantum mihi quidem licebit, in medium proferam quaecunque in auctoribus hoc de morbo disputantibus circa oriundi morbi tempus, sedem, et phaenomena, externe, diligentiori disquisitione instituta, sensibus percipienda, repèriuntur commemorata; quoniam quae mihi, in morbi istius exemplo, ipsi observare contigit, non nisi ad cónfirmanda, minime ad corrigenda, quae celeberrimi illi viri, quorum experientia et doctrina mea laude utique sunt longe superiores, tanquam multiplicium diligentiorumque observatorum summam exhibuerunt, facere potuerint.

Ad tempus tumoris sanguinei generandi quod attinet, neque adseri, neque omnino negari licet, aut semper, aut plerumque in postremam foetus periodum id incidere. — Id quidem tum esse factum, quum infantes aut cum perfecto nascerentur tumore, aut in proximis, post absolutum partum, horis, tumor exoriretur, prona ad fidem res est, et eo quidem, quod morbo plene formandò

longiori temporis spatio, quam quod paucarum est horarum, opus esse videatur. Cui sententiae nec Cel. Naegele (1) videtur refragari, quippe qui dubitet incertusque haereat, an statim post partum oboriri omnino possit? Circa haec, certa quae forent, docere, semper in abstrusioribus arduisque fuerit numerandum, et eo quidem, quod haud prius animadverti morbum liceat, quam externa capitis forma morbose immutata.

Nonnunquam statim post partum, quinimo capite infantis adhuc in pelvi materna versante, aut paucis, partu absoluto, horis elapsis tumor iste animadvertitur. Fidem faciunt sat multorum medicorum experta (2). Id autem fieri plerumque solet, ut XXIV — XLVIII horis post partum elapsis demum detegatur (Michaelis, Naegele). — Concinit Oslander (3) idem. An serius, quarto nimirum vitae die elapso, sit unquam observatus, nulladum, quod sciam, certa experien-

(1) Conf. *Erfahr. und Abhandl.* p. 251. — et: *Med. chir. Zeitung* 1819. No. 88, p. 160.

(2) Vid. *De cephaloematoma auct.* Zeller, p. 29 seq.

(3) Vid. *Grundriß der Entbindungsk.* Th. 2. p. 67.

tia est comprobatum. Quae cum ita sint, tametsi rei ipsius sufficientem rationem theoreticam reddi nondum liceat, statuere possis, tribus quatuorve diebus post partum elapsis, non amplius locum habere oriundi tumoris sanguinei conditiones.

In sede tumoris definienda discrepant aucto- rum sententiae. Cel. Naegele (4) ita sentiebat, opinione deinde forte mutata, in singulis comati capitis locis oboriri posse tumores sanguineos, se- met ipsum hoc observasse monens. Chelius (5) contra adserit, semper in ossibus parietalibus eos reperiri. Scilicet fidem faciunt singula hodieque descripta hujus morbi exempla. Zeller (l. c. p. i.): „Forsan, inquit, semper alterutri aut utrique ossi parietali insidentes.“ — Neque adstipulari quisque non potuerit, donec omnino comprobatum sit contrarium. Idem sta- tuendum fuerit de opinione, tumoris ambitum nunquam ultra fonticulum, aut suturam quan- tumque extendi, quod saltem nunquam est

(4) Vid. Erfahrt. u. Abhandl. p. 247.

(5) Vid. Handbuch der Chirurgie, Bd. 2, Heidel- berg 1823, p. 986.

observatum. Zelleri adsertum, cui et Che- lius accedit, cephalaeatoma frequentius dex- trum os syncipitis occupare, quam sinistrum, non- dum sat confirmatum mihi videtur experientia.

Non quidem semper, plerumque tamen, non nisi unus tumor obortus cernitur. At bini non- nunquam pluresve magnitudine diversi, simul sunt observati, jam invicem juncti, jam ponticu- lo quodam diremti.

Diversae magnitudinis obvii erant ejusmodi tumores, jam fabae ambitum aequantes, jam oc- cupantes os bregmatis universum, non nisi exili margine relicto, uti Michaëlis (6) quidem aliique memorant. Rariora sunt tumorum pugni virilis, aut ovi anserini magnitudinem ae- quantium exempla, qualia cernere Valenti- no (7), Zwingero (8) et Nebelio (9) contigit. Complures auctores, non satis distinguentes hunc

(6) Vid. Neues Journal von Hufeland. Bd. 11. 1804. Stück 3. p. 84.

(7) Vid. Ephem. n. c. Dec. II. Ann. II. (1683). Obs. 162. p. 371.

(8) Vid. Paedojatreja pract. Basil. 1722. p. 29 seq.

(9) Vid. De cephalaeat. auct. Zeller. p. 33.

morbum a vi mechanica, dum pelvim transit infans, in hujus caput exserta, in difficiliorum ac diuturnorum partuum, sequelis numerant, ut Preussius (10), Mauriceau (11), Levret (12), Gardien (13), Becker (14). — In hoc contra recentiores conveniunt, experientia quidem edocti, plerumque, forte semper, non nisi post expeditos, faustos, omnisque maternas virium intensiois expertes, in primis celeres, partus, enasci istiusmodi tumores. Zeller (l. c. p. 42) exemplum, a Perill. de Fischer, medico partuumque adjutore peritissimo, cum Ill. Naegelio communicatum divulgavit, in infante pedibus praeviis nato, et Ill. Naegele (15) aliud quoddam, in infante natibus praeviis nato, simul com-

(10) Vid. Eph. n. c. Cent. III et IV. Obs. 20. p. 42.

(11) Vid. Observ. sur la grosseur etc. p. 186.

(12) Vid. Samml. auserl. Abhandl. Thl. I. p. 248.

(13) Vid. Traité complet d'accouch. etc. T. III. p. 163.

(14) Vid. Journal d. prakt. Heilk. von Hufeland. 1823. Stück IV. p. 81.

(15) Vid. Med. chir. Zeitung. 1819. Nro. 88. p. 160.

monefactis lectoribus, quanti momenti; negativo quidem respectu, malique pathogeniae ratione habita, hoc suo in genere singularè novumque sit exemplum. In primis in infantibus primogenitis Baudelocque (16) exortos vidit istos tumores.

Phaenomena cephalaeatomatis jam nobis commemoranda sunt, quae sequuntur.

Tumor, cujus sedes et varians amplitudo modo est commemorata, doloris expertis, citra aegroti infantis incommoda, tangi premique potest, nec minuitur, nec magis disparet externo tactu pressus; distinctè est circumscriptus, mollis, elasticus, pro ratione quantitatis contenti fluidi magis minusve sensus. Communium tumoris tegumentorum conditio ab ea, quae in sanis est, non differt; color nec rubet, nec livet; cutis huc illuc moveri potest, tumoris loco non mutato, in profundae sedis insigne argumentum.

Fluida esse, tumore quae continentur, conspicua docet fluctuatio; sanguine constant, primis quidem diebus rubicundi coloris ac fluido, dein-

(16) Vid. L'art des accouch. 5me Edit. 1815. T. II. p. 228.

de autem atri coloris et ex parte coagulato. Qui sanguis inter pericranium et os, cujus exterior superficies proxime inde tangitur, est collectus.

Levior cum tensio fuerit, tumore digito presso, os in fundo positum percipi tactu licet, cavitatem saepius exhibens tangenti: quae si insignior fuerit, fieri hoc nequit, nisi hac aut resolvablentibus imminuta, aut incisione omnino sublata. Baseos ambitus ulterius non crescit, tumore, mox post partum, insigniori complemento, ad certum modum usque elevato tensoque, deinde sibi constante.

Saepissime digiti tactu percipitur margo osseus, baseos ambitum indigitans, licet non ubique perfecte, quippe qui nonnunquam jam aliis locis satis distincte, jam aliis aut minus, aut omnino non percipi possit. Haud raro nullus est primis post partum diebus, semper autem comparens diutius vigente tumore. Medium tumorem versus, tensione aucta, os, uti jam monuimus, percipi tactu nequit. Hinc, potissimum satis diligenti disquisitione neglecta, medicus, cui ipsi tumoris sanguinei exempla cernere oculis non contigit, immemor eorum, quae in quibuscunque

scriptis de infantum morbis disserentibus, de morbo, qualem quipiam medicorum aestimabant, longe rarissimo, legerit, facile induci in errorem potuerit, sibi persuasurus, os infra tumorem collocatum, apertura esse instructum, per quam fluidum in isto contentum ad cavum cranii liberius tum adfluat, tum inde defluat.

Mutati ossis modo commemorati mentionem, recte monente Zellero (l. c. p. 6), non quidem facit Baudelocque, cujus rei ratio forte in eo est quaerenda, quod tumoris sanguinei diligentiore uberioreque descriptionem vulgandam pollicitus (T. II, p. 228), morte est impeditus, quo minus staret promissis. At fecerunt illius mentionem, ex superioris aetatis auctoribus, Chopart et Desault (17), Levret (18), Osiander (19), medici observatores praestantissimi. Ossis mutatio reperta est eadem in morbi exemplis, quae herniae cerebri nomine insignire quibusdam vi-

(17) Vid. Anleit. zur Kenntniss aller chir. Krankh. A. d. Franz. Bd. I. 1783. p. 88.

(18) Vid. Samml. auserl. Abhandl. Thl. I. 1800. p. 249.

(19) Vid. Grundr. der Entbind. Thl. 2. p. 67.

sum est, qualia sunt, quae describere Le Dran (20) et Chemin (21). Nec desideratur in plurimis recentiorum observatis (conf. Zeller l. c. p. 29 seq.). Submonere mihi liceat, aut de sphalmate typographico esse cogitandum, aut Zellerum (l. c. p. 6) sub tabulae vitreae nomine quicquam aliud animo concepisse, quam ossium cranii internam laevem tabulam, aut male exprobrasse Michaëli, Viro-meritissimo, quod hic, cum aliis, post ipsum, contendat, prominentem hunc ossis marginem oriri „ex destructione, ex defectu tabulae vitreae.“

Michaëlis ante contenderat, speciosum ossis marginem nunquam deesse atque os, vel mature aperto tumore, semper laesum deprehendi, scabrum, externaque tabula destitutum, Diploë denudata. — Deinde autem expertis, potissimum Cel. Naegelio debitis, maxime in ossis diligenter examinatum conditionem intentiorem animi vertenti, refutatum est illud adsertum et

(20) Vid. Observations de chirurgie. A Paris 1731. T. I. Obs. I.

(21) Vid. Journal de médecine, chirurgie etc. T. XII. 1760. Fevrier, p. 140.

monstratum, os, recente adhuc morbo, laeve nec cariosum reperiri solere.

Pulsationem, aequantem arteriae radialis pulsus, nonnunquam animadverti in tumore sanguineo, Chopart et Desault (l. c.) et Levret (l. c.) memorant. In uno morbi exemplo idem phaenomenon a Cel. Naegelio (conf. Zeller p. 8) est observatum. Rarissimum quidem esse, equidem eo crediderim, quod in reti vasorum arterioso, supra ossa verticis, vasa non sint, in statu normali ad pulsationem ciendam, sensibus percipiendam, satis idonea, eamque, ubi exstiterit, ex ipso tumore sanguineo non pendere, adeoque in symptomatum ejus numero non esse habendam. Est sane, quod doleas, originis, illius pulsationis a Naegelio in tumore sanguineo observatae non factam esse mentionem.

Ceterum, in universum quidem, infantes cephalaeatomate laborantes, quamdiu topicum hocce malum non eo vigoris processerit, ut de eorum salute omnino sit desperandum, optime valent, lac nutricis, pro eo ac debent, sugentes, nisi alius generis impedimenta ingruant, placido

fruuntur somno, bene succedentibus excretionibus singulis.

Cel. Goelisii (22) opinio, tumorem interdum tantopere tensus esse posse, ut, capitis pressu, cerebrum secundario adficiente, status soporosus inferatur, jam a Zellero (l. c. p. 9), et recte quidem, meo arbitrato, erronea est declarata, ut quae ab expertis, quae hodieque innotuere, utique abhorreat.

Accidit, ut infans, uti Michaëlis (23) commemorat, simul ictero laboraret; et leve hujus mali vestigium in infante tumore sanguineo adfecto, cujus conditionis observandae data mihi occasio erat, comparuerat idem. Quidquid est, dubitari vix licuerit, mere fortuitum esse utriusque mali connubium.

Diutius ubi vigerit cephaloematoma, non lata, quam infra (cap. VI.) exhibebimus, ope, periculum imminet ossi subjacenti, utpote cujus superficies scabritie induitur, externa tabula ta-

(22) Vid. Prakt. Abhandlung. Bd. 2. Wien 1818. p. 191.

(23) Vid. Neues Journal von Hufeland. Bd. 11. 1804. Stück 3. p. 83.

bescente, forte quod vitioso vegetationis processu resorbetur. Denique adeo foraminosum os deprehenderis, qua ipsa re, et meningibus ipsoque cerebro adfectis, mors tandem inferri videtur, jam maturius, jam serius, adeo secundo demum anno, Michaële (24) [quidem teste, inséquens.

Phaenomenis, quam plenissime licuit, descriptis, a re haud aliena esse videtur morbi istius in diversa stadia divisio. Tria quidem, me iudice, licet distingui, ita ut

Primum stadium dicas, cum nihil dum morbosae conditionis in osse cernitur, sanguine, quo impletus tumor est, fluido et rubicundo,

Secundum stadium, cum depressum sese os exhibet, eminente margine tactu percipiendi, sanguine atro, ex parte coagulato.

Tertium stadium, cum glabrum os, exteriorique tabula destitutum, et foraminosum denique deprehenditur.

Ceterum istorum stadiorum certum statutumque tempus observari nullum omnino licet.

(24) Vid. Loder's Journal l. c.

Istius morbi divisionem, quam depromere ausi sumus, decursus mali respectu habito, non nisi qualemcunque propositam rationem dixeris. Velim autem examinetur et quicquid erroneum inesse visum fuerit; corrigatur a viris, quibus contigit, de tumore sanguineo collegisse expertia;

Cap. III.

Diagnosis tumoris sanguinei ejusdemque ab aliis capitis tumoribus distinctio.

Quanto frequentiora sunt super morbum quempiam observata, diligenter memoriae prodita, tanto est diagnosis ejus facilius formanda. Observata minus diligenter literis mandata prodessse quidem suo auctori possunt, at omnino non faciunt ad ipsas artes literasque adjuvandas.

Sicut ubique therapiae specialis unum signum non sufficit, sed plurimum congerie opus est ad morbi cujuscunque diagnosis formandam, ita et in nostrum morbum valet idem.

Cel. Michaëlis (1) quidem, sicuti supra monitum est, ossis eminentem marginem, tumoris sanguinei signum pathognomicum esse statuit, quippe quod hoc in morbo nunquam desit, nunquam contra adsit in tumorum capitis quocunque alio. Verum enim vero, praeterquam quod, diligentiorum observatorum fide, non semper inveniatur, a viris artis peritis iisdemque experientissimis non semper agnitus talis est, qualis fuerit putandus, utpote a quibus verus aperturae in osse patentis margo est existimatus. Et quidni aliis quoque evenire potuerit, quod illis accidit? —

Attamen concedere nolim, eminentem circum, Zellero (l. c. p. 3) scilicet auctore, saepissime etiam in vulgaribus capitis tuberibus, contusione exortis, inveniri, quum scriptorum Franco-Gallicorum loca, ad sententiam suam confirmandam, ab ipso in medium prolata ad tumorem sanguineum referenda esse et in hunc potius valere videantur.

Quibus mente perpensis, facile concesseris, simul atque ejusmodi asperam in osse lineam

(1) Vid. Loder's Journal l. c.

(quam, talem quidem, agnōris) circa tumorem deprehenderis, reliquis tumoris sanguinei signis conspicuum, hunc ipsum quidem procul, quocunque dubio adesse. Habere igitur mihi videor, quod egregium Cel. Michaëlis meritum gravitatis hujus phaenomeni monstratae ac celebratae grato agnoscam animo, tametsi induci sese eo siverit, ut in iis, quae superstruere ipsi visa sunt, experientiae rationem non satis haberet.

Etiamsi a posteriorum temporum expertis haud pauca forte superfuerint expectanda, quae ad cephalaeatomatis diagnōsin, sicut ad alias doctrinae de hoc morbo partes adjuvandas faciunt: eorum, quae superiori capite commemoravimus, quibus hic repetendis non est opus, summa collecta, jam diagnōsin formari licebit, cui confidere medicus fere semper potuerit.

Plenius hac de re disserturus, enumerandum esse duco, quae tumoris sanguinei aliorumque tuberum in neonatorum capite obviatorum sit differentia, nec vereor, ne quis eo me vituperet, quod Cel. Goelisi aliorumque clarissimorum auctorum exemplum secuturo, a) cephalaeatoma, b) tumorem vulgarem s. caput succedaneum,

et c) herniam cerebri congenitam, quae quidem tria tumorum genera facile aliud cum alio possunt permutari, in ternis paginarum columnis aliud juxta aliud dispositum exhibere visum mihi est, ad singulorum inter sese comparationem adjuvandam. (2)

a) Cephalaeatoma.	b) Caput succedaneum.	c) Encephalocoe congenita.
1. Circumscriptus tumor est.	1. Non circumscriptus tumor est.	1.
2. Tegumentorum communium naturalis conditio.	2. Tegumenta communia tumorem, magis minusve inflammata.	2. Cutis interdum venis varicosis trajecta.
3. Tumor imperceptibilis, alterutrum latus cum collustraveris splendente lumine.	3.	3. Aqua saepesimul in sacco contenta, quodammodo tunc hic est pellucidus.
4. Exoritur post faciles partus.	4. Post difficiles partus animadvertitur, tantoque insignioris molis, quanto difficilior partus fuerat.	4. Observatur perinde in expeditis, atque in impeditis partibus.

(2) Solitarii columnarum numeri, quibus verba non

a) Cephaloematomata.	b) Caput succedaneum.	c) Encephalocoele congenita.
5. Adcrevit primis post partum diebus.	5. Decrescit, et primis post partum diebus evanescit.	5. Sibi constat.
6. Sedem in osse bregmatico habet, tametsi hoc non praecens, in parva, capitis infantis pars fuerit.	6. Non est obvium, nisi eo loco, qui, pelvis partu transeunte, maxime in profundo erat positus.	6. In diversissimis capitis comati locis concipitur.
7. Pressus nullam infert tumbri mutationem, nec male adficit infantem. Omnino non permutatur infantis conditio, frigore in tumorem agente aut capite demissius collocato.	7. Premendo (quod quidem omnino dissuadendum!) aliam tumor formam induit.	7. Externo pressu tumor imminuitur, forte omnino disparens, nisi nimis ingens fuerit. Vi autem majori, eademque subitanea, illata, oboriuntur convulsiones, sopor, paralysis. Idem accidit, aut capite nimis demisse collocato, aut frigoris vi in tumorem exserta.

deprehenderis adscripta, monent, eadem tum esse referenda, quae, in prima columna, dicta sunt de cephaloematoma.

a) Cephaloematomata.	b) Caput succedaneum.	c) Encephalocoele congenita.
8. Vi elastica praeditus tumor est.	8. Vi elastica caret.	8. Tactu mollis est, perinde ac si pistoris massam tetigeris.
9. Fluctuatio distincte est percipienda.	9. Nullum fluctuationis vestigium.	9. Merum in hernia si contentum cerebrum fuerit, nulla est tumoris fluctuatio; si aqua simul, est illa exiliior.
10. Rarissime levis pulsatio est.	10. Nulla unquam pulsatio.	10. Simplicis encephalocoeles vehemens est pulsatio; hydrocephalocoeles exiliior, at semper tamen tactu percipienda.
11. Musculorum infantis intentione, ut clamore, et similibus, tumor nec mutatur, nec damnum inferitur infanti.	11.	11. Clamore aliae virium intentione quacunq; tumor adcrevit, franguntur simul infantis vires.
12. Saepissime a sepe nova singularis nulla conditio.	12. Nihil in osse novi singularis nulla conditio.	12. Per ossis apertura tumorem prodit, illius margine ta-

a) Cephaloematomata.	b) Caput succedaneum.	c) Encephalocele congenita.
<p>cta percipitur, intra quam tamen os non deest.</p>		<p>ctu distincte percipiendo.</p>
<p>13. Reliquae bonae valetudinis infantis non turbata est conditio.</p>	<p>13.</p>	<p>13. Summa providentia infans est tractandus, ad convulsiones pronus; saepe nutrimenta in ore retinens non deglutita; inaequalis respiratio etc.</p>

Quae succincta potiorum differentiarum, inter commemoratos morbos intercedentium, enumeratio, quam peritioribus medicis suam artem exercentibus amplificandam atque atgendam relinquo, forte saltem conduxerit medicos, sinistram trium harum morbi formarum permutationem vitaturo. Satis frequenter olim peccaverint hac in re medici, quid? quod hodieque peccant. Qua in re cerni videtur ratio, quod recentioribus demum temporibus frequentiora, circa cephaloematomata, innotuerunt observata, et, in doctrina de encephalocele, hodieque mirae vigent et confusio

et contradictiones, qua de re jure meritoque Zeller (l. c. p. 9) conqueritur idem.

Quodsi acciderit, ut cum vulgari tubere capitis eandem regionem occupante tumor sanguineus esset complicatus, quod quidem nunquam observatum: primis quidem XXIV, post partum, horis, quam maxime ardua foret ejusmodi exempli diagnosi, quibus autem elapsis, capite succedaneo evanescente, tumore sanguineo contra incrementum, facilius.

Ossa cranii infantis, in partu, exostosi maternae pelvis, pressu ubi laesa fuerint, id quod fieri facile potest, maxime impeditus difficillimusque partus erit, sine instrumentorum artisque ope fortassis omnino non perficiendus; communia, loci in capite infantis depressi, tegumenta valde contusa comparebunt atque inflammata, et magis lineae, quam circuli, speciem prae se feret depressio.

Aegre medicus, artis suae peritior, inductus fuerit ad cephaloematomata cum oedemate capitis partiali s. hydrocephalo externo partiali cellulari permutandum. Ad ambas alteras vero hydrocephali externi partialis species, ad

aponeuroticum et periosticum quod at-
tinet, in omnibus quidem Therapiae specialis
compendiis systematicis enumerantur; at habes
sane, quod dubites, an istiusmodi simplex, mere
topica, cum hydrocephalo interno non consociata
adfectio aut omnino existat, aut unquam exstite-
rit, donec fide digniora, quam quae hodieque in-
notuerunt, exhibita fuerint experta. Cel. Goe-
lis (3), cui tot aegrotorum infantum curam medi-
cam gerere contigit, quot aliorum medicorum
certe paucissimis, memorat, non nisi ter eam,
quam hydrocephalum externum periosticum
nuncupat, sese observasse formam, tanquam to-
picam adfectionem, nec quidem, in universa
praxi sua medica, universalem. Mortui sunt
tres illi infantes, et fluidum in singulis repertum,
ichor erat; nihilo secius tamen existimat, hy-
drocephali haec fuisse exempla. Praeterea idem
medicus longe experientissimus (l. c. p. 195) hy-
drocephali externi partialis aponeurotici com-
memorat exemplum, eo insigne, quod, facta in-

(3) Vid. Prakt. Abhandl. Bd. 2, Wien, 1818.
P. 158.

cisione, puris benigni scaturientis copia pro-
manaret. At nemo non videbit, medicum illum
frequentissima faustissimaque praxi insignem male
fuisse ratiocinatum, nec constitisse suis ipsius
praeceptis; nec igitur mirum, quod tumorem san-
guineum, uti jam monuimus, hydrocephali exter-
ni speciebus pariter adnumeraverit, quum inter
ista exempla et tumores sanguineos inveteratos re-
vera quaedam intercedat similitudo, et unum,
infantis quidem anniculi, fortasse talis utique fue-
rat. At enim, ne diutius his immerer, id certe
inde liquet, hydrocephali externi partialis apo-
neurotici et periostici fidem historicam non-
dum esse exploratam. Neque ego igitur illorum
et cephaloematomatis diversitatis signa enumera-
bo, quae invenire nonnunquam difficillimum fu-
erit. Ab hydrocephalo externo, ex interiori cra-
nio oriundo, tumor sanguineus eo facile distin-
guitur, quod huic phaenomena desint hydroce-
phalo interno propria. Ejusmodi connubii exter-
ni atque interni hydrocephali exemplum egregie
describit Perill. van Swieten. (4)

(4) Vid. Comment. in Boerhave Aphorism. T. IV.
Ed. II. Lugd. Batav. 1770. p. 121.

Cel. Goelis (l. c. p. 163 et 170) mentionem facit emphysematici in capite tumoris, quem physoccephalum, seu cystoma capitis externum cognominat, singulis signis ejus, quae fere haec sunt, enumeratis: fluctuatio nulla; mobilitas, ita, ut mulcendo lenique pressu locum mutet; manu tactus, peculiarem stridoris sibilique sonitum edit. — Hinc a cephalaeomate omnino est diversus.

Fungus durae matris et fungus cerebri eo sunt insignes, ideoque ab indole tumoris sanguinei diversi, quod ipsis plus minusve phaenomenorum encephalocèles competunt, nec forte oriundi, nisi aut ex ulceribus, aut post operatione chirurgicas, quibus tegumenta communia et ossa cranii erant perforanda.

Fungi haematodis, tanquam peculiaris naevorum generis, in teneris parvulis, nonnquam observati pariter insignis est a cephalaeomate discrepatio. Ille enim nullum quidem format tumorem, sed maculam, interdum sublimiorem, rubri aut atro-coerulei coloris, sensim extendens suum ambitum, non vi elastica praeditus, nec fluctuans etc.

Cum capitis laesionibus vi externa illatis, sive contusionibus, sive rugillationibus etc. non permutari tumor sanguineus potest, cutis, qua tumor est obtectus, externa istiusmodi injuria semper simul laesae, ratione, uti par est, habita.

Tumores et cystici et sarcomatosi fere semper subter cutem sedem figunt in tela cellulosa, hinc, quamvis et cutis, qua obtecti sunt, huc illuc trahi possit, pari modo super osse possunt moveri, id quod in cephalaeomate fieri nullo modo licet.

Haec tandem ea de re monuisse sufficiant. Tantum autem abest, ut omnia, quae haurienda fuerint, me exhaustis existimem, ut contra persuasissimum habeam, fore, ut, continuatis strenuorum observatorum examinantium studiis, praeterea multa detegantur, quae magni fuerint momenti artique locupletandae conducant.

Cap. IV.

Aetiologia tumoris sanguinei.

Haec ipsa doctrinae de tumore sanguineo pars etiamnum inter tenuissimas eminet. Quan-

tumvis diligentissime institutae fuissent celeberrimorum virorum circa huncce morbum disquisitiones, nondum illis contigit, lucem obfundere tenebris, sub quibus latent tumoris sanguinei causae. — Ne merae hypotheses sufficerent veritati, satius esse duxerunt abstrusas eas omnino profiteri, sicuti Naegele (1), Guil. Schmitt (2), Zeller (3), et Chelius (4), Viri celeberrimi, fecerunt. At non nisi a viris tanti nominis, et experientia et eruditione huic rei dijudicandae idoneis veriora ac certiora expectaveris et observata et cogitata; minime vero ab artis salutaris tirone, qualem me non possum non profiteri.

Quodcunque norimus de aetiology morbi, versatur in negando, h. e. audacter docere nobis non licet, nisi quae non sint cephalaeatomatis causae. In dividendis morborum causis sequi lubet praestantissimorum aetatis nostrae medicorum placita. Hinc commemorandae veniunt: causa proxima et causae remotae (sive

(1) Conf. Erfahr. und Abhandl. p. 253.

(2) Vid. Med. chir. Zeitung 1819. No. 21, p. 328.

(3) Vid. De cephalaeatomate. p. 15.

(4) Vid. Handbuch der Chirurgie. Bd. 2 p. 986.

momenta causalia), quae postremo loco nominatae, pariter divisae, tum praedisponentes sunt, tum occasionales (s. excitantes).

Ad Michaëlis sententiam quod attinet, existimantis, proximam tumoris sanguinei causam cerni in peculiari ossium vitiosorum genere, ceterum disertius ab illo non descripto: haec profecto nostra aetate vix ac ne vix quidem invenerit sectatores; quinimmo oleum et operam perderem, uberius hisce in pagellis eam refutaturus, refragante omnino experientia, diserta illa rerum magistra. Praeterea, quam sit infirma, jam Cel. Naegele (l. c. p. 251), deinde et Zeller (l. c. p. 6) docuerunt. Ceterum de cephalaeatomatis et fungi haematodis certa adfinitate cogitasse videtur Michaëlis, quae, me quidem iudice, omnino nulla est. Proinde errat idem, docens, et fungi haematodis proximam causam ossium vitium quoddam esse.

Cel. Naegele suspicatur, vasorum sanguiferorum cranium penetrantium varicositates proximam tumoris sanguinei esse causam. Quae sententia eo confirmatur, quod in regione, quam obsidere cephalaeatoma solet, vasa, quae di-

cunt, emissaria Santorini reperiuntur, quae venosi sanguinis partem, e sinu falciformi majore, per foramina parietalia, ad externum cranium vehunt. Scilicet ejusmodi vasa permeant et foramina mastoidea et condyloidea postica, neque tumores sanguinei ibi unquam sunt reperti.

Maxime primum ad fidem hoc est, in primitiva vasorum sanguiferorum systematis, nec quidem arteriosi, sed venosi, adfectione consistere proximam cephalaeatomatis causam. Forte obicias, sanguinem, in tumore contentum, in primo stadio rubicundum esse et copiosius effundi; at nonne sanguinis vasorum capillarum arteriosorum et venosorum fere nullum omnino est discrimen? non perinde saepius oboriuntur graviores haemorrhagiae, varicibus vulgaribus laesis, quas quidem ad systema venosum pertinere exploratum est? —

An in morbi exemplo, a Cel. Jahnio (5) commemorato, ubi, tumore inciso, sanguis arciformis fere ad tegmentum cubiculi usque est pro-

(5) Vid. Neues System der Kinderkrankh. Rudolstadt 1807. p. 93.

pulsus, tumor sanguineus re vera locum habuerit, eo dijudicari nequit, quod nullum praeterea signum est commemoratum; et tanto minus ex hoc exemplo proxima cephalaeatomatis causa repeti potuerit, quanto minus simile phaenomenon hoc in morbo unquam commemoratum repereris.

Perinde fere remotiores tumoris sanguinei causae ignorantur, ac proxima. Ignoratur enim tum ejus opportunitas, tum ipsius originis occasio. Meras Cel. Naegle (6) nobiscum communicavit suspiciones, utpote qui de vitiosa ossium cranii formatione, de respirationis processu post partum coepto et de mutata in neonato sanguinis circulatione cogitandum esse suspicatur. Nonne fortassis et noxia momenta, quibus gravis mater potest esse obnoxia, qualia et mechanica esse possunt, ut violenta corporis concussio, lapsu vehemente effecta, — tanquam praedisponentes cephalaeatomatis causae haberi poterint? —

(6) Vid. Erfahr. und Abhandl. p. 253. — Zeller p. 16.

Experientia satis est comprobatum, difficultates in partu, quibus impeditur capitis infantis evolutio, et in primis pressum ossa partesque molliores infestantem, ex incommodo pelvis spatio oriundum, huc referri non posse, sicut multi praesertim superiorum temporum solebant auctores, quum in cephalaeatomatis peculiari indole indaganda parum operae navabant. Cui sententiae et Becker (7), recentissimorum de cephalaeatomate observatorum auctor, adstipulatur, quod sane mireris. Ablego ad ea, quae supra (cap. II.) jamjam sunt monita, Lectores.

Cap. V.

Prognosis tumoris sanguinei.

Quamdiu necdum diagnosis, nec therapia hujus morbi adfatim erant exploratae, in prognosi enunciana, varios in varias partes abeuntes videris auctores.

(7) Vid. Journal d. prakt. Heilkunde v. Hufeland, 1823. Stück IV. p. 31.

Cel. Preussius (1), cujus placita ipsius ipsis verbis exhibere lubet, eo, quod complures posteriorum auctorum ab eo fortasse sunt mutuati: „Aliqui, inquit, evaserunt quidem, plurimi tamen, postquam per aliquot dies aut septimanas inde adhuc vixerant, convulsionibus tamen frequentibus praegressis, vitam postmodum cum morte commutarunt, et quidem tam illi, quibus lancetta incisus hic tumor, quam quibus non apertus, sed per discutientia, frustra saltem ut plurimum, tractatus fuit.“ — Gardien (2), plurimos esse mortuos, memorat idem, submonens, plerumque in interiori cranio simul reperiri extravasatum sanguinem, cui potissimum mors sit attribuenda. Nemo autem aliorum auctorum hujus rei facit mentionem. Hinc incerto loco constituendum esse duco, quid quantumque fidei huic sententiae fuerit tribuendum. Baudelocque (3)

(1) Vid. Ephem. nat. cur. Cent. III et IV. p. 43.

(2) Vid. Traité complet d'accouchemens etc. T. III. p. 164.

(3) Vid. L'art des accouch. 5. Ed. T. I. p. 378.

in prognosi pronuncianda pendet animi. Michaëlis (4), cujus merita in tumorem sanguineum indagandum collata jam saepius celebrandi data nobis est occasio, periculosum quidem putat morbum, maxime propter os infestatum, at saltem non talem, qualem sibi persuaserunt complures librorum de infantum morbis disputantium auctores, qui suorum observatorum penam vacantes, Cel. Michaëlis quae tradiderat, sola amplexi sunt, pro sibi visa quidem interpretationis verborum illius ratione, — ut Jahn, Plenk, Fleisch.

Expertorum nostrae aevi fide, quibus suadentibus, dummodo mature agnitus riteque tractatus fuerit morbus, semper faustus est successus, fausta prognos̄is est pronuncianda. Praeterea et stadiorum morbi (cap. II. enumeratorum) ratio est habenda. In quorum primo et secundo, morbo dextre tractato, fausta semper esse potest prognos̄is. In tertio autem anceps, quum, et ex aliis causis exorta ossium cranii carie, mors sit insecta (5).

(4) Vid. Loder's Journal l. c.

(5) Oblata nobis est occasio, infantem videndi, cujus caput stupida anus, partum adjutura, manus unguibus ita laeserat, ut molliorum partium suppuratio

Quod morbus iste non tantum, quantum olim, nostra aetate medicis injiciat terrorem, maxime Cel. Naegeli studiis debemus.

Quod restat, mors infantis, praeter ossium adfectionem, vehemente, aegre sistendo sanguinis profluvio potest inferri, nonnunquam, tumore nimis mature aperto, exoriri solito. Proinde etiam temerarius lapidis caustici, tumori admoti usus mortem advexit, cujus rei duo Cel. Goelis (6) vidit funesta exempla.

Cap. VI.

Therapia tumoris sanguinei.

Reliqua, eademque diversa morbi hujus momenta, prioribus sermonis nostri capitibus pro

gangraenosa et ossis caries oboriretur, cujus pars, dimidii pollicis amplitudinem aequans omnino denudata erat. Quantumvis interna externaque cura medica prospectum malo fuisset, aliquo tempore post, mortuus est misellus, quum ossis ista particula denudata in eo esset, ut exsolveretur a sanis partibus. Eheu! quantam calamitatem inferunt inflatae dexteritatis, quae omnino carent, vana opinione, obstetrices! —

(6) Vid. Prakt. Abhandl. Bd. 2. p. 179.

virium nostrarum qualicumque modulo persecuti, agitedum ad ea consideranda nos accingamus, quae medico artem suam exercenti, ad sanationem tumoris sanguinei perficiendam, sit observandum atque adhibendum. Artis peritus quisque intelliget, praecepta hac in re constituenda non profuere, nisi ex iis, quae hodieque experientia docuit; ergo tamdiu modo vigere, aut valere posse, quam non, aut eversa, aut saltem restricta fuerint, posteriorum observatorum expertis, id quod jam Gel. Guil. Schmitt (1) claris verbis enunciavit. Decenniis proxime elapsis cephalaeatomatis therapia insigni obnoxia fuit mutationi, nec satis firmo hodieque nititur statumine. Ancipitis hujus conditionis ratio posita est in proxima causa ignorantia; hinc indicatio causalis, inde repetenda, omnino locum habere nequit. Attamen tam bene succedere solet morbi plena medela, ut vix credere possis, facilius etiam tum perfici eam posse, quum firma data foret indicatio causalis.

Quaecunque in tractando tumore sanguineo jamnunc a medico poscere fas fuerit, eo fere reedit,

(1) Vid. Med. chir. Zeitung. 1819. No. 21. p. 328.

ut, morbi effectum, nimirum sanguinis circulatione vacantis colluviem, tollas ossisque caries, fortassis jam exortae, medearis, eaque re efficias, ut perfici plena morbi medela possit, quae quidem insequitur, pericranio, ab osse separatum quod erat, cum hoc iterum coalescente.

Jam ad commemorandos modos atque remedia transeundum, quibus adhibitis memoratam indicationem complere medicus possit. Ante tamen erit praemonendum, morbi universam curam medicam in remediis topicam vim exserentibus, externe adhibendis, versari, quum morbus, nisi tertii stadii finem attigerit, sit mere topicus, neque, interni usus remediis, ea, qua par est, celeritate et confidentia, agi liceat. Tum demum, cum eo morbus processerit, ut cum universo organismo adfectio communicaretur, interna simul atque externa medicatio erit indicata.

Duo omnino modi sunt, quibus sanguis in tumore haerens abigi potest, nimirum aut exitu, extrorsum, artis ope parato, aut processu vegetationis, in loco adfecto, ita immutato, ut a vasis resorbentibus denno recipiatur, humorumque mas-

sae universali admisceatur. Utroque modo usi sunt medici prosperrimo successu, qui usus nititur insigni clarissimorum virorum auctoritate. Agedum seorsim disquiramus utrumque.

Fere omnes, ad nuperrimam usque aetatem, suaserunt medici, ut cultro tumor adperiretur, et exemplorum faustissimi eventus haud parvus est numerus. Quospiam saltem scriptorum commemorare liceat, qui hac curandi methodo, successu prosperrimo, sunt usi, ut: Valentinus (2), Preussius (3), Storch (4), Levret (5), Chopart et Desault (6), Baudelocque (7), Michaëlis (8), Girtanner (9), Osiander (10),

(2) Ephem. nat. cur. Dec. II. Ann. II. p. 371. Obs. 162.

(3) Eph. n. c. Cent. III et IV. p. 42. Obs. 26.

(4) Theoret. u. prakt. Abhandl. von Kinderkrankh. Eisenach 1750. Bd. 1. p. 113.

(5) L'art des accouch. Ed. II. p. 229. — Samml. auserl. Abhandl. Neue Ausg. Thl. 1. Leipz. 1800. p. 249.

(6) Anleit. zur Kenntniß u. s. w. A. d. Franz. Bd. 1. 1783. p. 89.

(7) L'art des accouch. 5. Ed. T. I. p. 379.

(8) Loder's Journ. Bd. 2. St. 4. p. 661. — N. Journ. von Hufeland. Bd. 11. Stück 3. p. 80 seq.

(9) Abhdl. üb. d. Krankh. d. Kind. Berl. 1794. p. 26.

(10) Grundr. der Entbindungsk. Thl. 2. p. 67.

Naegele (11), Elias de Siebold (12), Gardien (13), Klein (14). Faustissimorum, incisione tumoris facta, exemplorum haud parvum numerum Zeller (l. c. p. 29 seq.) adfert. Alii minutissimas faciebant incisiones, ut Preussius et Scheidebauer (15), alii cruciformem, ut Levret et Girtanner, plerique simpliciter longitudinalem, variae longitudinis. Complures auctorum commemoratorum omnino necessariam incisionem aestimant, tanquam unicum celebrantes verumque remedium, ut Baudelocque, Michaëlis, El. de Siebold; alii contra remedium dissolventium praeivium usum concedunt medicaturis. Michaëlis suadet, ut incidendo adperiat tumor, quantum celerrime fieri possit, eo, quod semper periculosa sit cunctatio. Atta-

(11) Erfahr. u. Abhandl. p. 248. — Med. chir. Zeitung, Bd. 4. 1819. No. 88. p. 159.

(12) Med. chirurg. Zeit. Bd. 2. 1812. No. 49. p. 367.

(13) Traité complet d'accouch. etc. T. III. p. 163.

(14) Bemerkungen über die bisher angenommenen Folgen u. s. w. Stuttgart 1817, p. 21.

(15) Vid. Loder's Journal. Bd. 2. St. 4. p. 662.

men nonnunquam per duas adeo hebdomades discutientia adhibuit idem remedia, ante, quam cultro uteretur. Sanguinis nimis copiose effusi periculum in tam tenerae aetatis parvulis non leve semper aestimat.

Et ipsa omnino docet experientia, utique imminere periculum, tumore illico post partum incisione aperto. Longiori autem tempore elapso, incisionis nullum utique est periculum. Animadverti licet, evacuato sanguine et obligato vulnere, **XXIV — XLVIII** horis elapsis, denuo colligi aliquid fluidi, jam sanguinis, plerumque autem seritantum, subrubri coloris. Quo emisso celerrime insequitur sanatio, **VIII — X** dierum spatio omnino absoluta, dumne arrosus os fuerit.

Cel. Naegele, qui antea incidendo aperiendum esse tumorem duxit idem, persuasus, incisionem solum verumque salutis esse praesidium, nuperrime tum suis, tum aliorum expertis, secum communicatis adductus, pristinum mutavit omnino consilium, ejusdemque novissima hac de re placita diserte nobiscum communicata, Zellero (l. c. p. 20 seq.), illius discipulo, debemus, aequè Venerando. Cui seriori Naegeli sententiae et

Perill. Deutsch, Praeceptor meus maxime venerabilis, cujus merita in institutiones medicas, tum theoreticas, tum practicas collata, gratis auditorum animis non satis magni sunt aestimanda, ad stipulatur. Cel. Chelius (16) in tradendo medelae modo, recentiora haec Naegeli praecepta idem sequitur. Quorum hanc exhibeo epitomen Lectoribus: Persuasus est Vir doctissimus, minime ubique necesse esse, cultro adperiri tumorem. Nunquam ille quidem hodieque, incisione justo tempore facta, oriunda pericula vidit, quid? quod neque ignorat, tum satis tutum esse hunc medendi modum, tum eo ipso sanationem tunc accelerari: nihilo secius tamen non nisi rarissime necessarium esse illius usum. Ipso iudice, sapientis medici est, tumores et ambitu et altitudine insignes, ut ossis bregmaticae maximam partem occupantes, cultri ope adperire, resolventibus remediis adhibitis si **X — XII** diebus elapsis nulla subsecuta fuerit tumoris imminutio. Idem sentiendum circa tumores aut neglectos, aut sini-

stre tractatos. Dissuadet ille omnino ante VI—VII—mumve diem post partum cultri usum ob vehementioris sanguinis profluvii periculum ex maturiori incisione, quandoque obortum. Reprobat idem incisionem cruciformem, a Levet aliisque commendatam; neque opus esse censet, per universam tumoris longitudinem eam continuari. Incidere solet ope lanceolae summam tumoris partem, incisione pro tumidae molis ratione convenienter prolongata. Sanguine emisso lintei carpi fila quaedam interjicit vulneris labiis, ut, si, sicuti fieri solet, denuo aliquantulum fluidi collectum fuerit, repetita incisione ne sit opus; vulnere deinde splenio et fascia obligato leviterque compresso.

Ad alterum tumoris nostri sanandi modum supra commemoratum, in resolventium usu versantem, quod attinet, ad quem delineandum nos jam accingimus, nemo medicorum, dummodo recens expertorum non omnino ignarus, negaverit, respondere eum posse medicantis consilio, sicuti visum est omnibus auctoribus, solius quidem incisionis patronis. — Etiam si non desint, discutientium usu fauste sanati tumoris sanguinei

prisca exempla, recentiori tamen aetate multo plura sunt reperta. Hoc modo sua cura sanatorum Cel. Goelis (17) triginta duo enumerat; duo, ex sua praxi medica Guil. Schmitt (18); tria Cel. Becker (19); et e majori exemplorum numero, quorum historiam refert Zeller (l. c. p. 29 seq.), discitur, methodo resolvente creberrime sublato esse istum tumorem. Varia hunc in finem, successu exoptatissimo, adhibita sunt remedia. Quum in his illud, quod Celeberrimus atque experientissimus Goelis in usum primus vocavit, per XV et quod excurrit, annos creberrime ab ipso adhibitum (20), inter reliqua omnia insigne emineat, dignum sane est, de quo uberius disseratur, simul monstrato illius usu.

Goelis, tumore aut ab ipso initio admodum tenso, aut inter aromatico-vinosarum fomentationum usum, e laxa conditione in tensam ver-

(17) Vid. Prakt. Abhandl. Bd. 2. p. 191.

(18) Vid. Med. chir. Zeitung, 1819. No. 21. pag. 327 seq.

(19) Vid. Journal d. pr. Heilk. von Hufeland. 1823. Stück IV. p. 76 seq.

(20) Vid. Med. chir. Zeitung, 1812. No. 81. p. 47.

so, statim tumoris cacumini frustulum lapidis caustici curat imponendum, ita tamen, ut so- lam epidermidem arrodatur, et superficiale excitet suppurationem tam diu sustinendam, quam omnino tumor disparuerit, loco iterum complanato, id quod intra VIII—XV dies fieri solet. In omnibus hujus methodi ab ipso adhibitae exemplis, finem suum est consecutus; hinc ex eo tempore nunquam usus est cultello. Diligenter praemonet medicos (21), ne nimis magnum lapidis caustici frustum tumori imponant, quippe quo latè serpens ac deorsum rodens ulcus oboriatur, cujus rei duo funesta, morte insecuta, vidit exempla. Partibus solidis disjunctis et sanguine evacuato, ipso quidem iudice (ibidem), haud raro lethiferum hujus morbi, alioquin non periculosi, inferri eventum, alienum est, uti supra vidimus, ab experientiae fide. — Eandem illius methodum modo descriptam et Guil. Schmitt est secutus in duobus illis exemplis supra commemoratis; in quorum tamen altero causticum semel tantum adhibitum cum non sufficeret, hoc repe-

(21) Vid. Prakt. Abhandl. Bd. 2. p. 179.

tere coactus erat. — Hoc remedium, operandi ratione, a reliquis in eo differt, quod extrorsum leniter derivandi vi polleat, maxime vero, quod vi sua irritante, Schmittio ipso teste (l. c.), reactionem vicinis partibus inferat simillimam inflammationi, qua ipsa tumoris discussio multo celerius adyehitur. Goelis persuasum habere videtur, suam illam methodum nunquam deesse medicantis consilio, omnino contra reprobata a Zellero (l. c. p. 28). Quantumvis plurium, quibus hic illam impugnare studet, argumentorum vis eluceat, equidem tamen crediderim, metam eum, nimio placitorum praeceptoris amore ductum, aliquo modo transilire; id quod novum saltem ne dixeris! — Caustici adhibiti vim ac virtutem multo esse validiorem, quam qua quodcunque aliud resolventium de meliori commendatorum pollet, et excitata quidem, uti videtur, illa reactione inflammationi consimili, exploratum esse crediderim. Equidem igitur in ea sum sententia, remedio hoc adhibito dissolvi posse tumores, nulli alii remedio cedentes, a cultri usu si discesseris. Tum, quum ad perficiendam resolutionem vulgata haud amplius idonea videntur re-

media, medico vero ipso cultri usum pertimescente (id, quod exprobrari illi vitioque verti potest!) aut infantis ad finibus neutiquam impellendis ad concedendam incisionem, resolutionem quasi vi impetrare a natura studeat medicus, methodo Goelisia adhibenda. Quae methodus cum multo celerius ad exoptatum finem consequendum perducatur, jam creberrime citra damnum quodcumque infanti illatum adhibita, medicum vel tum caute eam adhibentem, cum non quidem omnino fuerit indicata, taxandum non esse existimem, dummodo summo studio caveat, ne acriorem, nec vehementiorem, quam qua opus sit, vim exserat lapis causticus (22).

Ad lapidem causticum, quoad efficiendi rationem, setaceum, cujus mentiquem Palletta

(22) Quum haec jam literis mandassem, mihi data est perlustrandi copia, quae Cel. Becker (vid. Journal der prakt. Heilk. von Hufeland, 1823, St. IV, p. 76 seq.) de tumore sanguineo disseruit. Continuandis observationibus forte docentibus, fomenta ab hoc ipso commendata, omnibus in casibus, tam valida celerique virtute resolvente pollere, lapidis caustici usus sane fuerit omnino restringendus.

(23) facit, quam proxime accedere videri potuerit, re autem vera multo minus commendabile.

Tantundem profecto, quin multo plus exemplorum perfectae dissolutionis externo variorum aliorum remediorum usu, qui, dum indicatus fuerit, omnino periculosus non est, quam exemplorum vel cultri, vel lapidis caustici fauste adhibiti, licet numerari.

Hujus generis haec sunt adhibita et commendata remedia: tepidae, ex aromaticis paratae, fomentationes, sacculi herbarum aromaticarum, leviter ex aqua vineae coctarum, dum calefacti fuerint, impositi, quibus forte et subadditur sal ammoniacum, porro salis culinariae solutio, aqua vegeto-mineralis Goulardi, emplastra atque unguenta dissolventia varii generis, fumigationes, tumoris strictior obligatio, et quae hujus generis sunt alia. Ex his, sacculi herbis aromaticis confecti et splenia aromaticorum infuso madefacta, omnium optima hucusque habita sunt hujus generis remedia, atque commendata. Quod aromaticorum potissimum delegeris, parum refert. De-

(23) Vid. Exercitat. patholog. Mediol., 1820. p. 195.

liget medicus artis suae haud imperitus sine negotio. Augetur vis eorum ac virtus, infusus vino, in primis rubro Franco-Gallico, aut in pauperiorum usus, adusto vino, admisto, et tumore, commodi obligamenti ope, sensim fortius compresso. — Remediis hisce adhibitis, recentiorum experitorum fide, dissolutio insequi plerumque solet, saepius adeo tum etiam, ubi, fieri id posse, dubitares. Scilicet elabuntur, donec perfecta sanatio fuerit, quatuor octove hebdomades.

Tria Cel. Beckera (l. c.) debemus tumoris sanguinei exempla nuperrime divulgata, ab ipse observata. In quorum primo, ab initio per XIV dies, absque ullo effectu, remediis aromaticis adhibitis, cum jam in eo esset, ut lanceola uteretur, hunc praescripsit liquorem: R. Spirit. camphorat. Spirit. juniperi aa unc. j Acet. squillit. unc. β M. D., quem alternis horis, spleniorum ope, tepidum jussit imponi. Duobus diebus elapsis exoptatus jam apparuit effectus, tumore deinde intra octo dies omnino disparente. Duobus alteris ab ipso observatis tumoribus pariter intra octo dierum spatium dissolutionem intulit, fomento commemorato statim ab initio adhibito. —

Quum remediorum aromaticorum solitarum usu resolutio tumoris, non nisi quatuor octove hebdomadibus elapsis, perficiatur, haec a Cel. Beckero adhibita remedia, ex diureticorum genere, sane maxime sunt digna, quae medicis commendentur adhibenda atque examinanda.

Facta incisione asperum arrosunque os si fuerit repertum, valida in organismo infantum vis reproductiva nonnunquam, vulnere satis simpliciter tractato, sanationem adfert, citra artis peculiare praesidium. Quae si non fuerit advecta, laxatis vulneris marginibus, puris conditione in pejus mutata, suadet, unguento digestivo, decocto corticis peruviani, quercus etc. vulnus obligari (conf. Zeller p. 21 — 22)

Aegroto infante simul in universum male valente, adfecto febre hectica, juncta cum alvi profusione forte colliquativa, tum quidem necessaria est cura universalis, ex Therapiae specialis praecipis repetenda.

.....

Sylloge observatorum.

I.

Multorum annorum spatio, ex quo rei obstetriciae moderandae in nosocomio Academiae Caesareae litterarum universitatis Dorpatensis maximo cum studio praestit Perill. Deutchi, et hujus urbis salutis, et auditorum insignibus commodis summa cura prospiciens, tria in eodem nosocomio obvia habuit cephalaeatomatis exempla. Tribus illis singulis cultri usu medelam attulit, remediis aromaticis, vi resolvente validissima gaudentibus, per octo et quod excurrit, dies frustra adhibitis.

II.

D. XI. mensis Augusti a. MDCCXXIII natus erat ***, matris sanae optimaque valetudine florentis primogenitus. Non impeditus partus fuerat, mox insecutus, licet, obstetrice teste, funiculus umbilicalis circumjectus infantis collo esset. Puerulus, perfectam maturitatem consecutus, licet haud ita magnae molis, alacer erat beneque valebat. In quo, mox post partum lavato ac munda-

to, quae res perfecta est a mulieribus, quae novum quodcumque in cari parvuli corpore conspicuum aegre praetermissurae fuissent, nullus in capite tumor erat repertus. Postero die in parvuli, balnei usibus commissi, vertice tumor est detectus, vulgaris tumor capitis ab obstetrice declaratus, qui mox esset dispariturus. At secundo post partum die, tumore non decrescente, rem ipsa suspiciosam habuit. Fortuito praesens ego cum essem, rogatus, ut, infantis capite examinato, dicerem, quid sentirem, hanc reperi capitis conditionem: In dextro osse bregmatis, paulo retrorsum, versus superiorem et posteriorem angulum ejus, juxta suturam sagittalem, ab hoc tamen et a fonticulo occipitali, substantia ossea interjacente, separatim inveni tumorem, unius pollicis longum, dodrantis latum et quadrantis spatio sanis capitis partibus elatiorem. Distincte percipienda erat fluctuatio; tumor elasticus tensusque, ita, ut fundam percipi tactu non liceret; pressus, non imminuebatur. Ceterum, tumore presso, quietus manebat infans. Cutis tumori obductae conditio a reliqua diversa nullo erat respectu. Basis tumoris margine osseo circumdata,

qui circumcirca, praeter parvum locum retrorsum, distincte tactu erat percipiendus, ita, ut fallere observantem etque persuadere posset, os re vera apertura praeternaturali esse instructum. Capitis examine a me instituto quae equidem repereram, confirmabat aestimatissimus ac dilectissimus commilito, cui pariter adesse contigerat. — Tum quae noverim circa tumoris sanguinei conditionem maxime manca fuisse atque imperfecta, lubenter profiteor. Tumorem illum equidem nec vulgarem istum, qui capitis succedanei nomine venire solet, neque herniam cerebri esse putabam, persuasum tamen habebam, os re vera esse perforatum. Incertus animi, non ausus, quodcumque visum fuerit, mea sponte quiequam moliri, adii Perill. Deutschium, imperii Ruth. consiliarium et Med. Professorem longe meritissimum, Praeceptorem meum ad cineres usque colendum. Cui cum enarrassem, quae vidissem, summa, quae conspicuus ille est, humanitate exceptus, eumque, ut suo me consilio adjuvaret, orassem, in aperto statim ipsi erat vera mali conditio, etiamsi peculiare capitis infantis examen instituere ipsi non liceret. Commonescit me tumoris sanguinei, si-

mul me incitans ad diligenter observandum istum tumorem, praescripto fomentationum aromaticarum usu. — Die, post partum, decimo, tumore necdum minime mutato, coepta est cura. Speciebus ex rad. calami aromat. et summitat. millefolii aa constantibus ex vino rubro leviter coctis, splenium octuplex harum colatura adhuc calente madefactum, fasciola leniter comprimente firmatum est super tumorem, id quod primo alternis horis, deinde autem non nisi quater per diem, est repetitum. Quibus integra hebdomade continuatis, haud parum jam desederat tumor, magis emollitus. Jam in fundo magis magisque distincte os percipi poterat, omnino depressum, unde marginis species adparebat. Quinque hebdomadibus elapsis perfecta erat sanatio. Distincte observare mihi licebat, os, sanguine contento in tumore resorpto, elevari, eo loco cum reliquis sensim omnino complanato. Sanatione utique perfecta, in pristino tumoris loco, os magis etiam est elevatum, quale hodieque comparet, elevatione ista fortassis in perpetuum mansura. — Ceterum per totum curae infanti adlatae tempus bene valebat infans, ab ipsa quidem matre lacta-

tus, ab exili status icterici vestigio cum discesseris, quod quidem et ipsum sensim sensimque disparuit. Infanti tres menses nato variolae vaccinae cum successu sunt insitae. Varicellarum discrimine mense quinto fauste superato, etiamnum infans optima fruitur valetudine. — Submonendum esse duco, matrem hujus infantis, ex loco tres pedes alto, circa medium fere graviditatis stadium, fortuito desillisse, non quidem prolapsam, — praeter terrorem, perpressam vehementem concussionem. Ceterum nulla iste casus intulerat incommoda.

III.

Quam nunc cum Lectoribus communicaturus sum observationem, mecum communicatam debeo Henr. Theoph. Schulzio, medico practico Revalensi, amico meo longe aestimatissimo, precibus meis omni, qua par est, humanitate satisficienti promptissimo animo. Habeo igitur, quod gratias ipsi agam, quas possum maximas, eisdemque publicas. Quum cujusvis medici interesse videatur, oculis animoque lustrare tam egregie enarratam morbi historiam, ipsa amici mei verba,

neque amplificata, nec resecata, sola lingua, qua scripta acceperam, mutata, reddo Lectoribus. En illa:

„Die VIII. Jun. A. MDCCCXX natus est filius meus primogenitus, Otto Theodorus Theophilus. Partus infantis, primum normalem situm (erste Normallage) nacti, mirum in modum facilis erat, et mater et natus optime valebant, nec vulgati tumoris capitis, in primogenitis tam frequenter observari soliti, ullum vestigium. Tertio post partum die, d. X. Jun., in osse bregmatis dextri lateris parvuli, in ea regione, ubi suturae concurrentes angulum formant, tumorem animadverti, in quo, diligentius examinato, haud parum perterritus, sanguineum neonatorum quem dicunt, illico agnoscebam, quo de malo Michaëlis, Naegele, Klein aliique recentioris aetatis auctores disseruerunt. Tumoris hujus sanguinei a me observati elliptica forma erat, sesquipollicem longa, dimidio angustior; eminentis et terminantis marginis ossei speciem prae se ferebat tangenti. Distincte percipienda erat fluctuatio; tumore, pressu, non mutato; nec dolorosus infanti pressus, nec soporosum inferens statum.“

„Quantumvis recentissima in animo vigeret Perill. Deutschii, Praeceptoris mei summe reverendi, memoria, in scholis suis academicis, quum de morbis infantum dissereret, quodcunque hujusmodi tumoris resolvendi conamen omnino reprobantis, cultrique usum, ad eum aperiendum, suadentis, nihilo minus ad discutientium usum primo me adduxit paternus amor. Fomentationibus praescriptis, ex Specieb. aromat. Pharm. Boruss. et Flor. arnicae montan. aa constantibus, vetusto vino Franco-Gallico confectis, quum votis meis non responderet effectus, tumoris vultu, post biduum fomentationum usum, omnino sibi constante, diutius, in periculoso hocce morbo, dubitare, an incisio necessaria sit, nefas mihi esse videbatur; hinc d. XII. Jun. tumore cultello aperto, sanguinis ari fere semiuncia profuxit. Os diligentius a me examinatum laeve minimeque arrosus reperi. — Biduo post tumor denovo sanguine repletus iterumque lanceola adperitus tantundem sanguinis emisit, quantum, incisione primum facta, profluxerat. Simplici obligamento adhibito omnino sanatum erat malum paucis diebus.“

„Quum anni MDCCCXXIII aestivo tempore Revaliam venisset Perill. Deutsch, filiolum meum, in quo hujus morbi memorabile illud exemplum obvium fuerat, ad illum adducere ausus sum. — Qui puer — id quod submonere mihi liceat, cui duodecies variolae vaccinae sine ullo fructu erant insertae — mirum nactus est vigorem, eo tamen insignis, quod pristinus tumoris locus caret omnino capillis.“

T h e s e s .

I.

Herniae incarcerationem spasmodicam existere nego.

II.

In phthisi pulmonali exulcerata resinosorum remedium usus non est rejiciendus.

III.

In nonnullis morbis tractandis omne medicamentum in eo versatur, ut, quae morbi decursum turbare possunt, amoveantur.

IV.

Lues venerea universalis non exoritur, nisi praegresso ulcere syphilitico topico.

V.

Affectio spasmodica statum inflammatorium cedere potest (et vice versa) idque praecipue in intestinis.

VI.

Primis post infectionem syphiliticam diebus sanatio perfici potest sola topica ulceris cura.

VII.

In morbis tractandis, ubicunque perversae apparent secretiones, sensibilitatis conditio respiciatur necesse est.

VIII.

Ad tussim convulsivam accedere quidem potest bronchitis, nullo autem modo semper adest.

.....